





SENATUI,  
CIVITATIS SNEEBERGENSIS,  
AMPLISSIMO,

*QUUM.*

CHRISTIANO. FRID.  
MELBERO, J. U. D.

*ET. JURECONSULTO. EXCELLENTI.*

FASCES, CONSULARES,

*A. SUMMÆ. DIGNATIONIS.*

*VIRO.*

D. JOANNE. HENRICO.  
LAURENTIO,

*DEPOSITOS.*

*III. NON. DECEMBR. A. R. S. MDCCII.*

*AUSPICATO. TRADERET.*

*EX. MERITO. CENSUIT. GRATVLANDUM.*

*M. URBANUS. GODOFR. SIBERUS. S. R.*

---

EXEMPLA FECIT HENRICUS FULDA.



SENATUS  
 CIVITATIS HAMBURGENSIS  
 AMPLISSIMO  
 CHRISTIANO FRID.  
 MERTHO J. D.  
 M. HANNOVERIAE  
 FACULT. CONSULTARE  
 DE JURE  
 D. JOHANN. HENRICO.  
 L. A. B. H. T. I. O.  
 DE JURE  
 M. VON DECKEN, M. A. M. D. C. C. C. I.  
 AMPLISSIMO  
 EL MERTO CANTU. CRISTIANUM.  
 M. CARNESSGODOR. H. R. O. L. A.





Q. D. B. V.

**R**asens annus, quem mox in orbem suum fata  
temporum condent, omnibus undique potesta-  
tibus gravis, cervicibusque impar, majorque  
fuit. Sive enim Germaniam lustres, seu Ita-  
liam, Hispaniamque adeas, sive divisos ab  
orbe nostro Britannos, imo ultra Oceanum habitantes medite-  
ris, certe Principum quorumcunque questus, & indignationes  
audies. Quodque intolerandum censetas, ab uno ferme, nec  
nimis spatioſo terrarum tractu malum exiit, quod omnes ap-  
petit, eosque urget, & humeris insultat, tanto scilicet impe-  
tu & vi, cui vix magne vires resistere queant. Ea quip-  
pe calamitas Imperatorem LEOPOLDUM excitavit, eadem  
JOSEPHUM Cæsarem armis induit. Hæc in fœdera gentes dis-  
ſitas cœgit, & moribus ac institutis dissimiles conjunxit. I-  
mo ad bellum sexus sequior accinctus, quo magis alias ad  
pacem pronus, eo majores sibi injurias factas docet. Anglorum  
Principem Regemque, ANNAM dico, quæ, omnibus succincta  
ducibus, ad depellendum commune periculum incesſit. Et e-  
nim iniquum omnes putant, eripere regna & veteratoris  
artibus hereditates intercipere, exuere spe, potestateque regi-  
a, quos leges, quos gentium consensus Reges esse jubet. Et  
quis non ambitionem, imo tyrannidem dicat, Imperia aliorum  
exercitibus invadere, mare classibus implere, alios ad fœ-  
dera, alios ad perfidiam & seditionem trahere? Quanti  
autem laboris ulcisci injurias, & gentium jura, finesque  
tueri, debellare exercitus, mare latrocinis purgare, defe-  
ctores ad obsequium, urbes ad venerationem ducere? Hæc,  
qui vulgaria aut levia putet, Italiam intret, virtutemque  
EVGENII, Sabaudi Principis adversum multos spectet, fir-  
mas Leopoldi, obnitentesque copias miratur, cæcos captosque du-  
ces numeret. Rhenum Mosamque adeat, urbes obsessas, igni-  
tisque telis fulguritas, imo expugnatas cernat. Gades cum  
extremis finibus, classemque occupatam, combustam, mer-  
sum cogitet, tandemque singula cum Herculis labore con-  
ferat. At enim vero, hæc publica laboris documenta sunt,  
quem

quem fata summis Principibus imposuere. Neque tamen privata oppida manibus intra sinum compressis fingas. Cessit ad illa haud minor fatorum vis, unde non minus roboris ad resistendum contulere. Difficile fuerit, singula civitatum onera, quibus per hunc annum pressae sunt, narrare. SNEEBERGAM meminisse fas sit, quae pari, cum maximis, virtute temporum iniquitatem & sensit graviter, & fortiter tulit. Ita namque a magistratibus Consulibusque docta fuit, se montibus saxisque non ob id inditam, ut speculatrix propinqua, aut alienae calamitatis foret, sed, ut ad Principis Augusti decus concurrat, opesque conferat, sique necessitas flagitet, sanguine opituletur. Quippe haec antiqua majorum virtus fuit, ut quicquid manu e profundis puteis exquirerent, quicquid immensis laboribus pararent, quodquod aliunde industrie lucrum apiscerentur, id in Principem, inque Patrician, imo in quosvis profundendum putarent. Plane furviorum more, qui in montibus nati, aliis quam sibi magis fluunt, perpetimque rigando campos, sola munificentia effusa gaudent. Gratum mehercule, per omnem annorum orbem ire, quo felici sydere urbs illa condita fuit, nisi praesens iste, & ad exitum suum properans annus, me fulgore quodam praestringeret, inque suis virtutibus morari juberet. Quam enim ceteri omnes, invicti cujusdam roboris exempla dederint, dum vel adversum hostes, vel morbum, vel famem flarent; hic solus, omnia Patrum decora superasse visus est. Si quid recordor, ista aetas, exhauriendis civium bonis nata, haud parum civitati vestrae minabatur, quippe quae, suas venas imitata, omne, quicquid olim possedisset, jam effuderat. Hic vero vestra, PATRES, industria consilioque factum, ut & in Principis iustissima iretur vota, civiumque saluti juxta consuleretur. Purpuratos enim accersendo, & animum Civitatis Principi devotum, & opes, si quae modo essent, paratas ostendistis. Sensit sine dubio indulgentissimus Princeps, amicumque ejus, voluntatem civium valedigalis instar habendam, fidemque vestram, inter tributa reponendam. Quae etsi gratia PATRIAE PATRI habeatur, quis illius partem vobis non debeat? quorum prudentissimis rationibus provocata erat. Accessit alia tempestas, gravis Reipublicae futura, ni vestro tempestivo consilio discussa foret. Delectus militum, omnibus provinciis indictus, hic habendus erat, nomenque militiae dandum, quodcunque fors tetigisset. Magna hinc perturbatio & metus, non tam in viros, quam matres familias, quarum domestica res & liberorum salus everti credebatur. Non aderant otiosi inutilesque Cives, quos militiae  
in

in emendationem dedissetis. Hæc enim Respublica, sub laboris industriæque legibus condita, nunquam eos tulit, qui solum sine fructu reverent. Prorsus, ut Lacædæmonios Patres vestras dicam, qui segnes & otiosos mox exterminarunt. Quid igitur faciendum? num fodina fossoribus evacuandæ, qui sparsas eris reliquias magno labore colligebant? an officinis auferendi, qui civitatis mutua commoda procurabant? aut exhauriendi, quorum opera res vœtigalis constabat? Res ardua, consiliique indigens! qua, licet in civitate obsequio clara, ad seditiõnem eruptura non erat, ut apud gentes delectus patiendi insuetas contigit; at magnam tamen periculosamque mutationem factura erat. Mira autem hic prudentia, benignitasque vestra prodit. Ararium quippe civitatis aperiendo, imo suas quisque opes proferendo exactoribus dedistis, ut ipsi militem conquirerent, Respublica autem, sine Civibus moritura, suos servaret. Sic sane opus non erat, ut vel fuga sibi aliquis consuleret, aut debilitato pollice vacationem impetraret, aut ere suo immunitatem pararet. Ecquis hæc vobiscum pietatis & clementiæ laude contendat? quorum omnis labor in conservando tuendoque civæ versatur. Quod si multas easque præcipuas communis Patriæ civitatis vias, quam misera plurimarum facies prodit? ades nudatæ Civibus, fora vacua, tabernæ clausæ, ipsa ruinam minitantiæ relictæ, suisque ruderibus obruta cernuntur. Imo eo usque ventum, ut præcis incolis inopia pulsis, advenæ, & peregrini venerint, adesque plurimæ dispari domino habitentur. Scilicet hujus mali auctores sæpe magistratus fiunt, qui sua potius quam civium commoda curando, sibi divitias fluxas, his pauperem duram longamque conciliant. At vero, hæc modicam ambitu, civitatem non sine voluptate spectes. Ea civium, utriusque sexus, frequentiam, velut amplissimum quoddam municipium, alit, sic, ut una sæpe domus, populum contineat. Ades ipse non quidem splendide, at usibus commode, aque tempestatibus tute, interque eas, que decus honestatemque publicam non mentiantur. Curia splendida, tanquam augustum aliquod Justitiæ templum, assidue frequentatur & civibus affluit, non contentioni deditis, sed ut leges vestras & oracula discant, æquitatemque judiciorum audiant, quo & ipsi quondam in posteros utiles evadant. Nempe hæc justitiæ vestra, quam mira benevolentia temperatis, fit, ut nunquam destituantur Respublica civibus, sed quisque, procreandi sobolem, votum habeat, quippe quam novit, sub justo clemen-

tique imperio, fortunas certas, tatosque lares habituram. Quis enim queso non cum sibi locum eligat qui equa magistratibus ac subditis jura præbet, quique judices non in rapinam aut cedes, sed in equitatem curamque paternam alit. Profecto, si adhuc staret, celebris ob justitiam, Selgitarum civitas, relinqueret illa sua mœnia, trajectoque ingenti terrarum spatio ad vos habitatum irct. Nec Biantem Aristidemque patria teneret, quin e judiciis vestris perfectam justitiæ laudem assequerentur. At quo longius illa contemplatione delector, eo firmitus inhaeret animus, eoque ægrius a gratissimo spectaculo divellitur. Vbi enim perpendo, que per hunc annum vobis difficultas ex militum hospitio nata fuerit, vecors essem, insignem vestri ordinis prudentiam si illaudatam dimitterem. Hi, intra aedes recepti, majore solito benignitate fruebantur. Est illa celebris Civium vestrorum virtus, ut hospites cujusque generis leti suscipiant, omnique eos commeatu juvent. Nec tessera quidem hospitalis, vetusto more, opus est, quum unusquisque suam in externos propensionem, instar quoddam tessere habeat. Hæc cum civitate virtus nata est, eaque adolescente crevit, & adulta jam, ad summum usque incrementum sine exemplo venit. Huic summi pariter infimique student, ut SNEEBERGAM Jovi Hospitali sacram, omniumque aedes hospitium publicum jure dicas. Sepe id sacrati principes, purpuratique comites experti sunt, haud ingrati, quo magis mirum, quosdam hac benevolentia sic abuti potuisse, ut hospitibus Patronisque turbas facerent. Cerno adhuc noctem illam, non tam tenebris quam tumultu horridam, que festam Civitatis pacem subito turbabat. Sentio adhuc sævas militum voces, ad arma cientes, malamque vobis gratiam reddentes. At inter hæc, Civium virtutem, summe moderationi junctam miror, qui, licet ad depellendas injurias robur, ad servandum Civitatis decus animum haberent; suis tamen magistratibus audientes a conflictu temperabant, seque duntaxat defendendo, innoxii spectabant, quas sibi met ipsi publice pacis turbatores penas dabant. Idque vestro exemplo PATRES didicerunt, quorum rogatus animus ad pacem & securitatem unice fertur. Quippe vobis constat, quanta res sit construisse arma, interque se mutuis cadibus sævisse, tandemque sanguinem nullo ex equandum pretio fudisse. Cumque ne nocentes quidem suppliciiis meritis objiciatis, aut in lanienam fontium procedatis, tanto magis tum vobis cura erat, coecos prohibere casus, tumultusque fortuitos sedare, & quocumque modo, servari civis decus impetrasse. Nec Numen abnuvit, quin simul, ac vestra vox audiretur, conticesceret clamor, ac tumescentium mina sedarentur, & arma in mutuum cædem stricta summitterentur, tandem cum adulta nocte ipse furor in somnum vertetur. Hæc publica, inque vulgus spectata moles est, quam præsens annus vestris cervicibus iniecit. Quid? si illam cerneremus, quam nobis occultam, diviniorem aliqua vobiscum virtus sustinet. Profecto attoniti staremus, perque circulus laudatum Herculem rideremus. Nemo leve putet etatis ven-

turæ



tura curas gerere, ejusdemque pondus & ingruentia mala prudentia sic præcipere, ut prævisa subeuntibus multo leviora fiant. Quis neget? rem maximi studii & laboris esse, & decus ordinis, & ornamenta, & jura servare, ne qua avitus honor, fuso incedente, contaminetur. Ea autem in singulis universisque Patribus adverto, quando quisque sibi eternam virtutis legem scribiti, Censuramque sui tam severe agit, ut opus eo non sit, qui senatum legat, aut indignos notet, aut ordine moveat. Digni homines, quibus Princeps, Senatus censendi judicium potestatemque liberam faciat, quom gnarus sit, non nisi spectatissima virtuti hic aditum dari. Nec ultra digredior, ubi enim virtutes vestre, sistendi spatium darent? Id concedatur, ut TIBI, ex animo, AMPLISSIME SENATVS, gratuler, qui hos, pluresque insuper pro Republica labores suscepisti, & ad huc festines, inque posterum fortiter sustinebis. Inprimis TE adire fas sit, JOANNES HENR. LAVRENTI, qui princeps, cum Collega, ad perferendam anni excurrentis molem, & manus & brachia extendisti. Tu probe noveras non quasvis cervices tanto oneri sufficere; unde diu multumque exercitatus es, & undecumque robur accepisti, antequam subires, nervosque tuos felicissime experireris. Huc tua juvenas spectavit, que plurima virtutum certamina vidit & ingressa est. Ille, ille animus tuus, commodis Republica datus consecratusque, per omnes fere Germanicæ Academiæ te circumtulit, ut, quod exemplar bene constituite civitatis cerneret, illud sumeret, inque hanc nostram, patriam deferret. Nimirum putabas, magne quidem utilitatis esse, mederi morbis, & labefactam corporis humani fabricam instaurasse; at majoris consilii rebaris, Rempublicam tueri, motamque ordine & concussam corrigere, salutemque communem instaurare. Idque fortiter agebas, quom Senator, mox Prætor lectus, ita fidem, prudentiam, virtutemque probasti, ut omnium votis eligereris, qui ipsam Rempublicam susciperes ac temperares. Felici oppido consilio, siquidem ingruentibus tot difficultatum, negotiorum, imo calamitatum tempestatibus ita firmiter stetisti, ut nunc propitio Numine, illam, quo accepisti statu, ad COLLEGAM deferas, præmiique loco laudem magistratus, graviter clementerque gesti, omnium applausu consequaris. Spes, vero eadem, majorque fere & excellentior te expectat, DESIGNATE CONSUL, CHR. FRID. MELBERE, qui hac ipsa die Rempublicam antebac cum aliis sultam, per vices recipis, spectatisque cervicibus letus imponis. Equidem non est, quod Te immunem periculi laborumque augurer, quod tamen opto, ut expedita Tibi cuncta fore puto, qui bene ferre dudum didicisti. Vastum iter foret per ultima tua spatia digredi, ætatisque exercitationes proferre, quas sub magistris famam immortalem tenentibus fecisti. Testis modo mihi sit universa civitas nostra, queque eandem montani tractus accolæ ambiunt. Vix redieras a doctis peregrinationibus tuis, quom omnes in occursum se effunderent, nec aspectum modo sed consilia & solatia poscerent. Magnum virtutis tue argumentum

mentum sit, quod **PIRERII** & **BLUMENBERGII**, principes civitatis Viri, iique ob beneficia & bene consultata aeternum memorandi, Te, suo fvasu collegio infererent, excellentemque Reipublicae fructum ex Te pollicerentur. Certo, ita me Dii ament, augurio! Quae enim & quanta non praestitisti? Quicquid in foro, quicquid in curia, quicquid inter crives agendum, id omne tua opera patratum est. Imo, quum illis ad senectutem honoratam vergentibus, pietas collegarum, tanquam Diis tutelariibus, parceret, Tu peregre ibas, interque ordinum conventus & Comitia, Civium commoda summa felicitate defendebas. Quid de privatis officiis dicam? quae magna aequitate bonitatisque, totus Reipublica, & inter omnes tamen veluti divinis praestas, ut Curia **CONSVLEM**, Cives **PATREM**, omnes **PATRONVM** in Te habeant. Quae cum ita sint, quae suscipias, quod in Te jam auspicato pondus devolvitur, animoque saeto difficultatibus occurras, quae simul incumbunt. Latent ille quidem adhuc, aut leito forte habitu incedunt; nec dissimulabunt tamen artes, aut retrocedent. Solenne istud tuae fortunae viris, ut cum iniquis congregiantur satis, ea autem vincant, seque omni invidia & calamitate potiores ostentent. Sumas, quod sedulo facis, in exemplum, excelsae conditionis homines, quorum quotidianum opus est in principis & classibus stare, & manu, consilio, voce, rem tuere, imo luctari, fortunamque persequi, sique premantur satis, ea fortius premere, quoad expugnata fortuna tristem exuat vultum, & exporrecta tandem fronte incedat. Ita fore credo, ut si quod in hoc magistratu tuo immineat mali, id tua virtute depellatur, omnisque fatorum iniquitas in summam prosperitatem cedat. Tandem ad Te, O **IMMORTALE NUMEN!** quod Regnis Imperiis ac Rebus publicis praesides, ac moderaris, venerabundus accedo. Tuo benigno nutu, auspiciisque Tuis, haec Civitas non sordide, sed inter argenti venas purissimas nata, ad decus pulcherrimum, religione, innocentia, justitia crevit, adolevitque. Tu dedisti, quorum virtus laudando Crives exemplo praerent, eosque servarent ac tuerentur. Tua benignitate factum, ut in hunc diem salva, incolumis, sarta tecta perstet, nec ullum ex imminentibus malis damnum ceperit. Tuque impostero propitiis omne malum auerunces, faciasque, ut sub **AVGVSTO REGE AC PRINCIPE** nostro, hocque **AMPLISSIMO SENATV, CONSVLE QVE CLARISSIMO** patrum a vitumque decus civitatis vigeat. Tu templa & aras, quique pura mente sacra faciunt, defendas. Tu curiam, quique cum potestate illuc & obsequio, **BONI CIVES**, eunt, protegas, dirigasque, ut illinc justitia, equitas, amor, hinc tranquillitas, obsequium, veneratio emergant. Tandem ita omnium, singulorumque votis conceptis annuas, ut indies Civitas auctior, florentiorque fiat, nec ullum incedat tempus, quo haec Reipublica **QUICQUAM DETRIMENTI CAPIAT.**



VD 18





SE  
CIVITATIS  
AN  
CHRIST  
MELI  
ET. JUREC  
FASCE  
A. SUM  
D. JOAN  
L  
III. NON.  
AUS  
EX. MERIT  
M. URBA  
S. R.  
ANDUM.  
CIL.  
ICO.

